COMMENTATIONIS DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ AD THEOLOGIAM REVELATAM

SPECIMEN SECVNDVM



AVCTORE

M. IACOBO CARPOV

ILL. GYMNASII DIRECTORE MATHEM. P. P. REGIÆ BORVSSICÆ ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM COLLEGA.

IENÆ, SVMPTIBVS IOH. ADAMI MELCHIORIS, VIDVÆ.



LECTORI VENERANDO
S. P.

I.

An Theologia reuelata possit methodo mathematica tradi?

Cum methodus disciplinas proponendi mathematica omnes fere reliquas vtilitatum multitudine atque præstantia superet, non heri aut nudius tertius, sed pridem mota quæstio est: *an Theologia reuelata methodo mathematica tradi possit?* In qua quidem decidenda alii negatiuam, affirmatiuam partem alii elegerunt (Spec. I. §: 23.); vti fieri solet, vt quisque, pro captu suo de re controuersa dubiaque sententiam dicendi, libertate vtatur.

II.

quod affirmatur.

Quod ad me attinet, quæ mihi mente sedeat sententia, ex superiori huius *Commentationis specimine* non difficile est coniectu.

Nimirum

Nimirum methodus ſcientifica vel demonſtratiua, cuius formam ac quaſi imaginem oculis animisque ſubieci (Spec. I. §. 5. ſeqq.), eadem eſt, quæ mathematicæ nomine condecoratur. Neque vero huius denominationis hæc ratio eſt, quod ſcientiæ quantitates rerum metiendi, quæ *matheſis* dicitur, tam propria ſit iſta methodus, vt aliæ diſciplinæ eadem proponi nequeant; ſiquidem quæ ſunt huius methodi eſſentialia, principia cognoſcendi indubia, modus inferendi legitimus, et talis veritatum diſpoſitio, vt præcedentia ſequentibus intelligendis inſeruiant (Spec. I. §. 5.), eadem in diſciplinis non-mathematicis dari, neutiquam repugnat; ſed quod mathematicorum vetuſtiorum principes, Archimedes, Euclides, alii, hac methodo vſi ſint, recentioresque accuratiores eandem adhuc adhibeant in doctrinis mathematicis proponendis, quodque a mathematicis proinde hæc methodus peti debuerit, ad alias diſciplinas transferenda; quemadmodum ipſe philoſophorum noſtræ ætatis princeps, Wolffius, *ſe, de regulis veritatum inueniendarum ſolicitum, ad demonſtrationes geometricas accuratius attendiſſe, eoque facto, intellexiſſe, eas, ſi ad ſummam accurationem reducantur, conſtare ex ſyllogismis, inter ſe connexis eo modo, quo ipſe adoleſcens theſium probationem connectere conſueuerit*, commemorat in *Ratione prælection. Wolffian.* c. 3. § 26. p. 129. Cum igitur methodus ſcientifica ſit mathematica, ſcientifica vero methodo Theologia reuelata proponi queat (Spec. I. § 12.), eandem poſſe mathematica proponi methodo, eſt in promptu. Et quia de Theologia reuelata loquor ſine reſtrictione, non de articulis mixtis tantum, ſed de puris etiam mihi ſermonem eſſe, conſtat; quemadmodum fert etiam demonſtratio ſuperior (Spec. I. §. 12.).

III.

Quomodo tradenda ſit ſecundum formam methodi mathematicæ internam,

Non autem anxie quærendum eſt, quibus artibus modisque effici hoc queat, vt methodo mathematica Theologia reuelata proponatur? Satisfac enim, ſi vis et potes, iis quæ methodi ſcientificæ, h. e. mathematicæ (§. 2.) propria eſſe, docui (Spec. I. §. 5.), et habebis Theologiam reuelatam, methodo mathematica propoſitam. Vel vt clarius rem dicam, quære ante omnia rerum Theologicarum proponendarum notiones diſtinctas completas, hoc eſt, definitiones, tam vſui loquendi Scripturæ, quam regulis Logicis conſentaneas; quære dogmatum theologicorum rationes, rationumque rationes vlteriores vsque ad principia cognoſcendi indubia, ex iisque compone demonſtrationes theſium probanda-

rum syntheticas; redige denique totum doctrinarum complexum in eiusmodi ordinem, vt præcedentia faciant ad sequentia distincte concipienda, iisque, quorum ope reliqua intelligenda sunt, locum da priorem. His seruatis, Theologiam methodo mathematica propositam habebis. Quodsi vero præter formam methodi mathematicæ internam externa pariter delecteris, nec illa indoli veritatum Theologicarum repugnat. Ex principiis enim, quæ dixi (Spec. I. §. 9.), syllogismis inter se connexis deriuata propositione theoretica, habes *theorema*, ex quo deriuari queunt *corollaria*. Practica autem quæstione e primis principiis æque ac ex theorematibus vel corollariis præcedentibus soluta, habes *problema* cum solutione; quibus propositionum generibus vbique *scholia*, ad confirmationem vel illustrationem vel vindicationem doctrinarum propositarum facientia, adspergi possunt. Ita nimirum, titulis propositionum adiectis, iuxta formam methodi mathematicæ internam habes simul externam (Spec. I. §. 8.).

et externam?

IV.

Institutum auctoris.

Enim vero in his mecum dissentientem, et acriter aduersus adplicationem methodi mathematicæ ad Theologiam reuelatam disputantem habeo D. Christ. Gottl. Clugium, Theologum Wittebergensem. Nam postquam ille, *Theologiam reuelatam methodo scientifica, sensu quidem meo, tradi non posse*, ratiuncula vna alteraue confirmauerat, disputationis filum protendens longius, *fieri non posse*, *statuit* (refero verba eius Singul. Theol. Carpou. P. 2. c. 4. sent. 1. §. 12. pag. 111.), *vt res Theologicæ, qua tales, hoc est, quæ ad Theologiam pertinent reuelatam, methodo demonstrandi mathematica proponantur.* Quare quemadmodum ego, quæ ad prius argumentum pertinent, Specimine discussi superiori, ita iam, quæ in alterius rationem cadunt, sub examen reuocare propositum mihi habeo. Quia is vero huic causæ capiti duas *admonitiones* prolusorias, ad indolem atque ingenium methodi mathematicæ pertinentes, sed a veritate aberrantes admodum, præmisit, hæ quales sint, antea videndum est.

V.

An euidentia ex methodo mathematica

Altera earum admonitionum agit de euidentia, ex adplicatione methodi mathematicæ pendente, de qua sic loquitur Dn. Clugius Singul. P. II. c. 4. sent. 1. §. 11. p. 110. *Series et dispositio mathematica cum ipsa methodo demonstrandi mathematica non est confundenda. Series et dispositio mathematica*

matica consistit in certo definitionum, diuisionum, affectionum, principiorum, problematum, et his omnibus admixtorum scholiorum, ordine, qui ordo mathematicus dici solet, quia soli fere mathematici eum obseruarunt, et per rerum indolem mathematicarum commodissime obseruare potuerunt. Methodus autem demonstrandi mathematica, præter seriem et dispositionem illam, requirit, vt singula momenta, quæ in istis et definitionibus, et diuisionibus, et affectionibus, et principiis, continentur, habeant euidentiam vere mathematicam, quæ in clarissima et distinctissima mentis pariter ac sensuum perceptione fundamentum habet, et per quam id, quod adseritur, tam clare atque manifeste oculis et mentis et corporis proponitur, vt, rem necessario ita se habere, tam aperte intelligatur, vt, si quis negare voluerit, eum, oporteat, omnem et rationem et sensum exuisse. Hæc euidentia oritur ex ipsis rebus mathematicis, quarum natura distinctissime cognosci potest. Licet autem series et dispositio Mathematica non omnino hic negligenda sit, tamen præcipue de methodo demonstrandi mathematica hoc loco disputatur. Et paulo post: *Demonstratio mathematica, præmissis definitionibus, postulatis, et axiomatibus, certas propositiones, euidentia in sensus incurrente, probat.* Quæ vero admonitio tota prodit in veritatibus mathematicis earumque methodo ἀπαιδευσίαν. Fateor equidem, *meram seriem ac dispositionem propositionum mathematicam neutiquam efficere methodum demonstrandi mathematicam*, quia plura sunt huius propria, quam vt a definitionibus et axiomatis initium, ad theoremata vero et problemata progressus fiat (Sp. I. §. 5.) At dum Dn. Ciugius ad methodum mathematicam requirit, *vt singula momenta, quæ in definitionibus et diuisionibus et adfectionibus et principiis continentur, habeant talem euidentiam, quæ in clarissima et distinctissima mentis pariter ac sensuum perceptione fundamentum habet, et per quam id, quod adseritur, clare ac manifeste oculis et mentis et corporis proponitur*, additque, *demonstrationem mathematicam, præmissis definitionibus, postulatis et axiomatibus, certas propositiones, euidentia in sensus incurrente, probare*, hæc sunt talia, vt partim veritati, partim sibi ipsis, repugnent. Euidentia enim, quæ in oculos corporis æque ac mentis incurrere ex methodo mathematica dicitur, aut tribuitur principiis demonstrandi, aut conclusionibus. Si principiis, necesse est, vt e. g. definitiones (hæ enim primum locum inter principia obtinent) non tantum mente percipiantur, sed semper etiam imago rei oculis subiiciatur, ad conclu-

incurrat in oculos mentis et corporis?

ſiones inde deriuandas. Hoc vero veritati repugnat. Nam quamuis multæ definitiones Geometricæ, e. g. lineæ, trianguli, quadrati, cubi cet. imaginibus repræſentari queant, infinite multarum tamen rerum definitiones ſunt, in quibus illud locum habere nequit, et e quibus tamen demonſtrationes theſium fieri poſſunt. Forma, quæſo, imaginem ingenii, intellectus, parſimoniæ, omnipotentiæ cet.; quod ſi non potes, euidentiam, in ſenſus incurrentem, non neceſſario requiri ad definitiones, fatearis. Par eſt ratio axiomatum. Non igitur principiis demonſtrationum talis euidentia, quæ pariter in oculos mentis atque corporis incurrat, poteſt tribui ſimpliciter. At nec poteſt concluſionibus; vti ex aduerſo Dn. Clugius, *demonſtrationem mathematicam, præmiſſis definitionibus, axiomatibus, poſtulatis, certas propoſitiones, euidentia in ſenſus incurrente, probare*, dicit. Quot enim ſunt propoſitiones, ſiue in matheſi, ſiue extra eam demonſtratæ, quarum veritas et euidentia non in ſenſus incurrit! Videsne oculis, an audis auribus, an alio ſenſu percipis, in triangulo rectangulo quadratum hypotenuſæ æquale eſſe quadratis cathetorum? an, globum eſſe $\frac{2}{3}$ cylindri, æqualem cum ipſo baſin atque altitudinem habentis? an, circulum æqualem eſſe triangulo, cuius baſis peripheriæ, altitudo radio æqualis eſt? cet. Adſpice, ſi placet, millies figuras, nec tamen ex ſenſibus de veritate horum theorematum conuinceris. Itaque euidentia harum propoſitionum in ſenſus non incurrit, et ſunt tamen mathematice demonſtratæ in geometria. Atque vt hoc quoque addam, ſi euidentia propoſitionis demonſtratæ eſt ex ſenſibus, non eſt ex demonſtratione mathematica, ex præmiſſis definitionibus, poſtulatis et axiomatibus facta, et ne hac quidem opus eſt. Contra ſi mathematica demonſtratio propoſitionis, præmiſſis definitionibus, poſtulatis, axiomatibus, fit, euidentia propoſitionis non ex ſenſu eſt, ſed ex eo, quod e principiis dubitatione ſuperioribus legitime ſit deriuata.

VI.

Euidentia quid et quotuplex?

Itaque quam euidentiam gignat methodus mathematica, hoc alia ratione perueſtigandum eſt. *Euidentem propoſitionem* vocat Rœtenbeccius in Log. vet. et noua §. 1202, quæ facile percipitur. Idem, propoſitionem euidentem vel quoad verborum ſenſum, vel quoad connexionem extremorum, docet, talem eſſe. Eſt autem *propoſitio euidens quoad verborum ſenſum*, cum verborum ſignificatio in illa nullam habet percipiendi difficultatem; quod fit, ſi terminorum ſunt notiones

diſtinctæ

distinctæ, vel certe claræ; sed *propositio euidens quoad connexionem extremorum* (h. e. subiecti et prædicati) est, in qua prædicati ad subiectum habitudo (sc. vtrum illud huic conueniat, an non conueniat?) satis percipitur. Ex quo fit, vt secundum hoc euidentiæ genus, quippe quod iam in censum venit, *propositio euidenter falsa* sit, in qua prædicatum repugnare vel non conuenire subiecto, satis percipitur atque manifestum est; sed vbi manifestum est, prædicatum conuenire subiecto, illa sit *euidenter vera.* Enim vero prædicatum conuenire subiecto, manifestum est vel ex perceptione sensuum, vel ex testimonio falli nescio, vel ex libera voluntate entium intelligentium, vel ex determinatione prædicati, per notionem subiecti facta. Habes igitur euidentiæ quoad connexionem extremorum quatuor species, *euidentiam sensuum*, qua ex sensuum perceptione, *euidentiam testimonii*, qua ex testimonio falli nescio, *euidentiam arbitrariam*, qua ex voluntate libera entis intelligentis, et *euidentiam rationis*, qua ex determinatione prædicati, per notionem subiecti facta, manifestum est satisque percipitur, prædicatum subiecto conuenire; quam postremam speciatim *euidentiam* vel *perspicuitatem rei* adpellaui Theol. Reuel. T. I. §. 256. Sed vbi prædicatum subiecto conuenire, ex determinatione prædicati, per notionem subiecti facta, manifestum est, notanda est iterum differentia, quod prædicatum per notionem subiecti determinetur vel immediate, e. g. si dicam: *omne triangulum æquicrurum est triangulum*, vel mediate, hoc est, intercedentibus notionibus aliis, e. g. *temperantia est laudabilis, quia est virtus, et omnis virtus laudabilis est.* Itaque *euidentiam rationis* priorem adpellare placet *immediatam*, posteriorem *mediatam.* Vocatur autem hæc euidentia rationis, quia nexum notionum perspicere, id quod ad hancce euidentiam pertinet, rationis est.

VII.

Methodus mathematica quam generet euidentiam?

Qualis igitur euidentia inest propositioni, secundum methodum mathematicam demonstratæ, vt tali? Quæcunque euidentia pendet ex determinatione prædicati, per notionem subiecti, intercedentibus aliis notionibus, facta, illa est euidentia rationis, eaque mediata (§. 6.). Sed euidentia propositionis, secundum methodum mathematicam vel scientificam demonstratæ, vt talis, pendet ex determinatione prædicati, per notionem subiecti, intercedentibus aliis notionibus, facta. Nam dum propositio demonstratur secundum methodum mathematicam, ea-

dem

dem e principiis cognoſcendi indubiis legitime deriuatur (Spec. I. §. 5. 6.); quo facto, prædicatum huic ſubiecto conuenire, intercedentibus aliis notionibus, manifeſtum fit. Itaque euidentia propoſitionis, ſecundum methodum mathematicam demonſtratæ, vt talis, eſt euidentia rationis, eaque mediata. Nimirum licet fiat interdum, vt propoſitioni, ſecundum methodum mathematicam demonſtratæ, etiam inſit euidentia ſenſuum, non tamen hæc illi ineſt, quatenus methodo mathematica demonſtrata eſt.

VIII.

Cuilibet ſpecici propoſitionum in methodo mathematica quænam inſit euidentia?

Atque vt plenius diſtinctiusque dicam, ſuppoſitis definitionibus definitionis, axiomatis, poſtulati, experientiæ, theorematis, problematis cet. ex Logica ſupponendis, facile cuilibet horum ſua euidentiæ ſpecies ex ſuperioribus adſignatur. Scilicet propoſitioni, ex *experientia* cognitæ, dum ex ſenſuum perceptione conſtat, ineſt euidentia ſenſuum (§. 6.). *Axiomatis* atque *poſtulatis* ineſt euidentia rationis immediata (§. 6.), quia in illis per notionem ſubiecti immediate notio prædicati determinatur. Contra euidentia rationis mediata competit *theorematibus*, ex iisque fluentibus *problematibus* atque *corollariis*, quia horum veritas conſtare debet ex demonſtratione, quæ euidentiam rationis mediatam generat (§. 7.). Porro euidentia teſtimonii ad *effata diuina*, eaque ſola pertinet (§. 6.), quia hæc ſola omni errore ſuperiora ſunt. Denique quod ad *definitiones* attinet, nominales, dum ſignificatum vocis ex vſu loquendi, eoque vel priuato vel communi, qui vterque tamen ex voluntate libera pendet, determinant, dumque ſic in illis prædicatum ſubiecto, h. e. definitionem definito, vel definitum definitioni, competere, ex libera voluntate ſic termino vtentium adparet, habent euidentiam arbitrariam (§. 6.); cum ex aduerſo realibus vel eſſentialibus aut inſit euidentia arbitraria, aut rationis mediata, prouti illæ aut definitionibus nominalibus, vt ſæpe fit in Geometria, aut theorematibus æquiparantur. Fieri autem poſſe interdum, vt vni eidemque propoſitioni duplex euidentiæ genus, e. g. ſenſuum et rationis mediata, conueniat, ſi vno pluribus modis, e. g. ex experientia atque ex demonſtratione veritas eius manifeſta ſit, facile eſt intellectu.

IX.

An euidentia rationis

Methodus mathematica, vel, quod idem valet, ſcientifica (§. 2.), ad quamcunque propoſitionem translata, conciliat ei euidentiam rationis

rationis mediatam (§. 7.). Itaque si propositiones Theologiæ reuelatæ methodo mathematica proponantur, iis pariter euidentiam rationis mediatam conciliari, manifestum est; quæ dum *euidentia rei* dicitur Theologis, eandem methodum ad euidentiam rerum ducere in Theologia reuelata, suo loco demonstraui (Theol. Reu. T. II. præf. §. 12.). Interea quemadmodum extra Theologiam Reuelatam euidentia rationis mediata, quæ conclusioni demonstratæ inest, habita ratione principiorum demonstrandi, resoluitur modo in euidentiam rationis immediatam quoad axiomata atque postulata, modo in euidentiam sensuum quoad experientias, modo in euidentiam arbitrariam quoad definitiones, præcipue nominales (§. 8.), dum ex his principiis demonstratur conclusio: ita euidentia rationis mediata, qua gaudet propositio Theologica mathematice demonstrata, potest præterea in euidentiam testimonii resolui, si effatum Scripturæ, cuius sensus non dubius, inter principia demonstrandi locum occupet.

mediata locum habeat in Theologia reuelata?

X.

Sequitur prolusoria admonitio Clugiana altera, priore (§. 5.) non melior, hæc Singul. P. II. c. 4. sent. I. §. 11. p. 110: *Demonstratio mathematica, præmissis definitionibus, postulatis, et axiomatibus, certas propositiones, euidentia in sensus incurrente, probans, distinguenda est a demonstratione Logica, quæ per syllogismos procedit, et dicto de omni et nullo nititur, vt vulgo loqui solent. Priorem hic respicimus potius, quam posteriorem.* Hic vero quam vere dicitur, *demonstrationem Logicam procedere per syllogismos, et niti dicto de omni et de nullo*, tam falso ex opposito *per hoc ipsum a demonstratione Logica distinguitur mathematica.* In eo enim si ponitur differentia demonstrationis Logicæ a mathematica, mathematicam demonstrationem non procedere per syllogismos, nec niti dicto de omni et de nullo, necesse est. At vero demonstrationes mathematicas per syllogismos procedere, hoc ex omnibus earum exemplis in ipsa mathesi tam manifestum est, vt demonstrationem mathematicam ne vidisse quidem vnquam putandus sit, qui negare sustineat. Euoluat, quæso, Dn. Clugius, in tyronum manibus versantem, libellum Wolffianum von denen Kräften des menschlichen Verstandes c. 4. §. 23; vbi demonstrationis mathematicæ, ad theorema Geometricum pertinentis, resolutionem in syllogismos tam manifestam inueniet, vt manibus quasi palpare

An demonstratio Logica atque mathematica differant?

queat. Quodſi vero demonſtratio mathematica pariter ac Logica fit per ſyllogismos, illam non minus, hac, niti dicto de omni et de nullo, vt fundamentis ſyllogismorum generalibus, fatendum eſt. Cum ſic vero demonſtratio mathematica pariter per ſyllogismos, quorum fundamentum dictum de omni et de nullo eſt, fiat, ac Logica, in quo, quæſo, demonſtratio mathematica differt a Logica? In eo, quod demonſtratio mathematica fiat ex definitionibus, poſtulatis, axiomatibus præmiſſis, Logica non? At vero ſi demonſtratio Logica non fit ex principiis cognoſcendi indubiis, qualia ſunt definitiones, poſtulata, axiomata, experientiæ, ne quidem demonſtratio eſt (Spec. I. §. 4), ſed qualiscunque probatio, vti pariter docuit ill. de Wolff. in libello excitato c. 4. §. 21. In eo, quod in demonſtratione mathematica cuilibet propoſitioni adſcribatur titulus, indicans, ad quam claſſem propoſitionum quælibet pertineat, in Logica non item? Falleris iterum. Nam tituli propoſitionum adiecti ad efficaciam demonſtrationis nil faciunt; ſed veluti demonſtratio vere mathematica et ſcientifica poteſt eſſe, titulis licet propoſitionum non adſcriptis (Spec. I. §. 8.): ſic ex aduerſo a peritioribus ridentur mangones, qui ficulneis ſuis probationibus ex adſcriptis propoſitionum titulis venari cupiunt robur, quod probationi ipſi ex euidentia principiorum debita et nexu concludendi legitimo non ineſt. In eo, quod in demonſtratione mathematica euidentia concluſionis in ſenſus incurrat, in Logica non? Veritati repugnare illud, ante oſtenſum eſt (§. 5.). Atque vt dicam, quod res eſt, demonſtratio Logica atque mathematica in forma demonſtrandi non differunt.

XI.

An veritates Theologicæ reſpuant methodum mathematicam ob defectum euidentiæ ſenſuum et rationis?

Videamus iam argumenta, quibus Dn. Clugius, *res Theologicas methodo demonſtrandi mathematica proponi non poſſe*, confirmatum it. Probat hanc ſuam ſententiam 1) *ex natura rerum Theologicarum, quæ ad euidentiam rationis et ſenſuum perduci non poſſint* (Singul. P. II. c. 4. Sent. 1. §. 12. p. 111.). Concludit igitur ſic:

Quæcunque doctrinæ ad euidentiam ſenſuum et rationis perduci nequeunt, illæ methodo mathematica nequeunt proponi.

Theologicæ doctrinæ nequeunt ad euidentiam ſenſuum et rationis perduci.

Ergo eædem methodo mathematica proponi nequeunt.

In hoc vero ſyllogismo nec maior, nec minor ſine cenſura dimitti poteſt.

Maiorem

Maiorem constare, sine dubio arbitratur Dn. Clugius, ex verbis præcedentibus l. c. p. 110: *methodus demonstrandi mathematica, præter seriem et dispositionem mathematicam, requirit vt singula momenta, quæ in istis et definitionibus, et diuisionibus, et affectionibus, et principiis, continentur, habeant euidentiam vere mathematicam, quæ in clarissima et distinctissima mentis pariter ac sensuum perceptione fundamentum habet, et per quam id, quod adseritur, tam clare atque manifeste oculis et mentis et corporis proponitur, vt, rem necessario ita se habere, tam aperte intelligatur, vt, si quis negare voluerit, eum, oportèat, omnem et rationem et sensum exuisse.* Sed pace dissentientis, *clarissimam et distinctissimam mentis et sensuum perceptionem*, nec non *oculos mentis et corporis* in hoc negotio coniungi male, supra obseruatum est (§. 5.). Theorema, recte demonstratum, habet quidem ex demonstratione euidentiam rationis mediatam (§. 8.), sed non sensuum. Sensuum euidentia autem est tantum in illis, quæ ex testimonio sensuum per se constant; id quod contingit in experientiis (§. 8.), hoc est, experimentis et obseruationibus. In iis vero, vt talibus, methodus mathematica nec opus est, nec locum habet. Quibus sic se habentibus, ita maior ponenda est:

quæcunque doctrinæ ad euidentiam rationis perduci nequeunt, illæ methodo mathematica nequeunt proponi.

Sed vt de minore propositi syllogismi dicam, hæc duas complectitur propositiones, quarum est altera: *doctrinæ Theologicæ nequeunt ad euidentiam sensuum perduci*; altera: *doctrinæ Theologicæ nequeunt ad euidentiam rationis perduci.* Quod ad priorem attinet, fateor, multas doctrinas Theologicas ad euidentiam sensuum perduci non posse. Tota de Deo et S. S. Trinitate doctrina talis est, vt sensibus percipi nequeat. *Nemo* enim *Deum vnquam vidit* Ioh. I. 18. Perperam vero ex eo deriuatur, illas doctrinas proponi non posse methodo mathematica. Nam in omnibus Matheseos partibus abunde multæ propositiones sunt, quarum veritas methodo mathematica demonstratur, licet ex sensibus veritas earum non constet, neque adeo illæ ad euidentiam sensuum perduci queant (§. 5.). Vnde autem, quæso, probata est propositio altera: *veritates Theologicæ perduci nequeunt ad euidentiam rationis? Mathematici*, inquis l. c. p. 111, *de rebus mathematicis claros atque distinctos habent conceptus, qui in rebus diuinis et spiritualibus eo perspicuitatis gradu minime obtinentur.* Nihilominus fateris paulo post, *nos con-*

ceptum quendam distinctum de rebus divinis, cuius ope sensum diuinum percipiamus, vnumque ab altero distinguamus, formare posse. Itaque propositionis probandæ hic est prosyllogismus:

Si rerum Theologicarum æque ac mathematicarum formare possumus notiones claras et distinctas, sed in illis minor perspicuitatis gradus est, quam in his, sequitur, vt res Theologicæ ad euidentiam rationis nequeant perduci.

Sed verum est prius; ergo et posterius. Cuius vero syllogismi et antecedens et consequentiam nego. An enim Dn. Clugius gradum perspicuitatis in notionibus distinctis rerum Theologicarum et Mathematicarum vnquam metitus est? et qua mensura? An et quomodo igitur instituit comparationem perspicuitatis in vtrisque? Hoc vero non ostenso, κενοφωνίαι sunt, quæ dicuntur. Gradus perspicuitatis in notionibus distinctis pendet ex gradu, ad quem in analysi notionis, vt notio fiat adæquata, licet progredi. Sed in rebus Theologicis non minus, quam Mathematicis, notiones adæquatas dari posse, cum abunde doceat systema meum Theologicum, iam vnicum tantum exemplum inde proferam. Quæris e. g. quid sit iustificatio? Dedi definitionem Theol. Reu. T. II. §. 1026: est actus, quo homo pro iusto reputatur. Quæris porro: quid sit iustus? Respondeo: qui legem Dei perfecte seruat l. c. §. 1024. Atque si denuo interroges: quid sit lex? quid lex diuina? quid perfecte seruare eam? habes definitiones datas T. I. §. 1079. 1094. Quid igitur, facta definitionis analysi, deest perspicuitati, eiusque gradui superiori? Nonne notio iustificationis pariter adæquata est, ac sunt aliæ in Mathesi vel Philosophia? Sed non in omnibus, inquis forte, talis est perspicuitas. Fac, ita esse; quodsi vero in quibusdam tantum superior gradus perspicuitatis deest, non sine omni limitatione ponendum fuisset: *rerum Theologicarum notionibus distinctis eum perspicuitatis gradum deesse, qui est in mathematicis.* Consequentiam autem syllogismi negari recte, inde adparet, quia, si minor esset gradus perspicuitatis in notionibus rerum Theologicarum, quam mathematicarum, id tantum sequeretur, vt res Theologicæ ad eum euidentiæ rationis gradum perduci nequeant, ad quem possunt mathematicæ, non vero, vt ad euidentiam rationis plane nequeant perduci. Audi iam igitur argumentum contrarium:

Si rerum theologicarum æque ac mathematicarum formare possumus notiones claras et distinctas, quarum ope vnum ab altero possumus distin-

distinguere (fatente Dn. Clugio), h. e. definitiones; atque si ex his definitionibus, adiunctis axiomatibus, experientiis et effatis Scripturæ euidentibus, veritates Theologicæ legitime deriuari possunt (Spec. I. §. 12.), idque, si non in omnibus, certe in plurimis: sequitur, vt res Theologicæ ad euidentiam rationis (sc. mediatam) duci queant, idque, si non in omnibus, certe in plurimis.

Sed verum est prius. E. etiam posterius.

Cuius argumenti vti antecedens manifestum est, ita consequentiæ veritas tam ex definitione euidentiæ rationis mediatæ (§. 6.), quam ex eo adparet, quod methodum mathematicam generare illam, demonstraui (§. 7.). An forsan dignitati veritatum Theologicarum aliquid detrahitur eo, quod ad euidentiam rationis illas euehi posse, doceam? An excellentia earum in obscuritate sita est? Annon apostolus, *nos omnes ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ gloriam Domini intueri, et secundum eandem imaginem* (Domini) *μεταμορφοῦσθαι a gloria ad gloriam*, testatur? 2. Cor. III. 18. Cur igitur tam peruerse sentitur de veritatibus Theologicis, vt euidentia rationis ab iis omnino præscindatur, quæ tamen veritatibus rationis inest atque Matheseos? Vter doctorum melius meretur de Theologia, isne, qui ad veritates Theologicas clarius exponendas, sicque ad augendam hominum cognitionem salutarem aliquid confert, an qui ex obscuritate et negato nexu reali pretium earum commendat? Sed sufficit, correcta maiore, et negata minore, conclusionem argumenti primi ruere.

XII.

An, quia vnum Theologiæ principium, sacra Scriptura, non ab omnibus recipiatur?

Res Theologicas methodo demonstrandi mathematica proponi non posse, Dn. Clugius probat 2) *ex diuersitate principiorum*; vbi, vt confestim in formam, quæ dixit, redigam, concludit ita l. c. p. 112:

Si principia in mathematicis rebus tam firma, tamque clara sunt, vt ab homine ratione sana prædito negari non possint; sed in rebus Theologicis non nisi vnicum habemus principium, scilicet sacram scripturam, quæ, licet omni principio mathematico certior sit et stabilior, tamen nec ab omnibus recipitur, nec, vt recipiatur, Mathematica demonstrandi ratione obtineri potest: sequitur, vt res Theologicæ methodo demonstrandi mathematica proponi nequeant.

Sed verum est prius; ergo pariter posterius.

Argumentum ficulneum! Habemus, fateor, in rebus Theologicis vnum principium cognoſcendi generale domeſticum, ſcripturam ſacram; ſed eodem modo habemus in rebus mathematicis et philoſophicis vnum principium generale, rationem ſanam. Quemadmodum autem hoc non obſtat, quin in philoſophia et matheſi adſint multa principia cognoſcendi ſpecialia, definitiones, axiomata, poſtulata, experientiæ, ex quibus concluſiones deriuentur: ita etiam in rebus Theologicis vnitas principii, quod ſacra ſcriptura eſt, non impedit, varia eſſe principia cognoſcendi ſpecialia, nempe definitiones, axiomata cum poſtulatis, experientias, et effata ſcripturæ. Fateor etiam, *ſcripturam ſacram*, et, quod fit inde, effata eius *non ab omnibus recipi*. An vero hoc impedit, quo minus veritates Theologicæ, quas docet ſacra ſcriptura, methodo mathematica proponantur? Cum ſatellites Iouis per tubos aſtronomicos detegerentur, erant, qui, inuitati licet, cernere illos recuſabant. Num obſtitit hoc aſtronomis, quo minus diſtantiam eorum a Ioue et motum computarent? Si verum eſt, quod dicitur, *Theologicas res non eſſe proponendas methodo mathematica eo, quod Scriptura ſacra, vt principium earum, a multis non recipitur*: maiori iure dicam, res Theologicas plane non eſſe proponendas eo, quod earum principium, ſcriptura ſacra, a multis non recipitur. Nam qui negat, ſacram ſcripturam reuelationem diuinam eſſe, ille veritates Theologicas omnino negat; quare ex illius ſententia non tantum non methodo mathematica, ſed omnino non proponendæ ſunt. Quemadmodum autem doctores eccleſiæ veritates Theologicas proponunt, tametſi athei ethnicique diuinam Scripturæ veritatem negant: ſic etiam, nequicquam hoc impediente, methodo mathematica illæ poſſunt proponi. *An* vero *mathematica demonſtrandi ratione obtineri queat, vt ſacra Scriptura recipiatur*, de eo hoc loco diſputare, nihil intereſt, poſtquam demonſtratio mea pro diuina ſcripturæ ſacræ origine omnium oculis ſubiecta eſt (Theol. Reu. T. I. §. 112.). Siue id enim obtineatur, ſiue ob depraua tionem mentis homo ad veritatis lucem caliget, ſufficit nobis, ſacram ſcripturam reuelationem vere diuinam eſſe; quocirca ex illa principia deſumi queunt, ex quibus concluſiones theologicæ legitime deriuentur. Denique etiamſi dubium eſſet, ſcripturam ſacram eſſe reuelationem diuinam (quod non eſt dubium), tamen ex ea per modum hypotheſeos concluſiones theologicæ deriuari poſſent, pariter ac in philoſophia atque matheſi ex hypotheſibus concludi, interdum vſu venit. Quibus omnibus

per-

perpensis, in syllogismo dato et antecedens et consequentiam negari, in aperto est.

XIII.

Prouocat Dn. Clugius porro 3) *ad discrimen, quod inter scientiam deprehenditur et fidem*, concludens ita l. c. p. 112: *An, quia alias tolleretur fides?*

Si res theologicæ methodo mathematica demonstrari possent, non opus esset fide, sed perfecte illæ e causis suis cognoscerentur, imo ipso perciperentur sensu.

Sed falsum est posterius, quia in euangelio, seu theologia reuelata, traditur, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adscendit 1 Cor. II. 9, *et quia* per fidem ambulamus et non per speciem 2 Cor. V. 7, *adeoque nec per demonstrationem mathematicam, in oculos incurrentem.*

Ergo falsum est prius.

Sed vt prætermittam incongruam locutionem de *demonstratione mathematica in sensus incurrente*, quia verba et litteræ demonstrationis mathematicæ quidem in sensus incurrunt, sed non demonstratio mathematica ipsa, quæ ratione debet concipi, negatur ante omnia syllogismi quoad primum membrum consequentia. Quam irritam esse, ostendo primo instantia:

Si exsistentia Dei methodo mathematica (puta: ex ratione) demonstrari potest, non opus est fide.

Sed falsum est posterius, quia *qui ad Deum peruenire cupit, is credere debet, ipsum esse* Hebr. XI. 6.

Ergo falsum est prius;

nec tamen prius falsum est, dum non solum multi eruditorum exsistentiam Dei methodo mathematica vel scientifica demonstrarunt, sed etiam Paulus, lumen naturæ nos docere exsistentiam Dei, docet Rom. I. 20; id quod dum per sensus immediate non fit, non potest non fieri per demonstrationem. Quare consequentiam falsam esse, manifestum est. Deinde autem vt directe respondeam, cognitio rerum theologicarum, ex demonstratione adquisita, hoc est, scientia rerum theologicarum, non tollit fidem illis adhibendam, et vicissim fides hæc non tollit istam scientiam. Nam quatenus Deus veritates theologicas reuelauit, eæque in sacra scriptura κατὰ τὸ ῥηθὲν leguntur, eatenus ob testimonium diuinum diuina fide credendæ sunt; quatenus autem

eadem

eædem veritates e principiis suis rite deriuantur, eatenus eas scimus; licet, quatenus principia demonstrationis sunt e sacra scriptura hausta, adeoque de fide, eatenus quoque omnes conclusiones de fide sint, quia non potest alia conclusionis conditio esse, quam est principiorum.

XIV.

An, quia irritus conatus fuit Huetii, Spinozæ, Raphsoni, Poireti?

Denique *fieri non posse, vt res Theologicæ methodo demonstrandi mathematica proponantur*, probaturus, argumentum capit Dn. Clugius *ex irrito eorum conatu, qui mathematicam demonstrandi methodum in rebus theologicis adhibuerunt*; ex quibus allegantur *Petrus Dan. Huetius in demonstratione Euangelica, Bened. Spinoza, Io. Raphson, Petrus Poiret* (Singul. P. 2. c. 4. sent. 1. §. 12. p. 112). Ita κενεφωνιῶν finis non est, et aliæ post alias quæruntur erroris latebræ! Quæ enim hæc consequentia:

Huetius, Spinoza, Raphson, Poiret non potuerunt veritates theologicas methodo mathematica proponere;

Ergo veritates theologicæ methodo mathematica proponi nequeunt? Siccine omnis humanæ mentis vim excedit, cui præstando Huetius, Spinoza, Raphson, Poiret inferiores fuerunt? Taceo, ineptissime Huetium et Spinozam coniungi. Huetius enim ex argumentis historicis diuinam originem Scripturæ demonstrare voluit et demonstrauit; Spinoza contra, Deum a mundo realiter distinctum negare, sibi habuit propositum; quo omne euertitur religionis fundamentum. Et quamuis Huetio opponatur, illum *diuinam auctoritatem libris apocryphis etiam mathematice adseruisse censendum esse, si diuinam originem librorum canonicorum, et alias doctrinæ christianæ sententias mathematice demonstrasse dicatur*: credo equidem, eum doctrinis receptis ecclesiæ suæ aliquid dedisse, dum libris apocryphis auctoritatem diuinam mathematice adseruisse videri voluit; attamen si ad viuum omnia reseces, demonstratio eius de libris apocryphis non valet. Nam præter γνησιότητα librorum V. T. argumentis historicis confirmatam, diuinam eorum originem demonstrat ex vaticiniis, quæ illi continent, et quorum complementum stato tempore datum fuit, supponens, et recte quidem, omnem propheticam facultatem, hoc est, facultatem vaticinandi a Deo esse. Sed vaticinia illa non esse in libris apocryphis, satis manifestum est. Neque aduersus possibilitatem, veritates theologi-

cas

eas mathematica ratione demonstrandi, quidquam valet, quod idem *Huetius*, a Sam. Pufendorffio ad illum laborem excitatus in epistola ad fratrem, Iesaiam, quæ Demonstrationi euangelicæ Huetii præfixa est, *responderit litteris, ad legatum Gallicum in Suecia missis, summas et vix industria humana superandas difficultates heic sibi obiici*; quemadmodum hoc quoque opponit Dn. Clugius l.c. p. 113. Quamuis enim Huetius intelligat difficultates ex parte rei, quales sunt omnino in campo primum peragrando, non eas tamen solas, sed præcipue, quas rationes politicæ subministrabant, reformidabat. Ita enim ille: *j'y vois* (sc. in Theologia reuelata methodo scientifica proponenda) *de très-grandes difficultés et presque insurmontables, non seulement du costé du sujet, mais encore du costé des parties interessées, dont les uns* (Romanæ sedis adseclæ, in quibus Huetius) *pourroient blamer un trop grand relachement, qu'on apporteroit pour faciliter la reünion, et les autres* (qui per Lutherum, aut Zwinglium emendata sacra sequuntur) *pourroient tirer avantage des avances qu'on leurs feroit, sans rien demordre de leur entestement.* Nimirum si Huetius, ecclesiæ Romano-Pontificiæ membrum exsistens, Theologiam reuelatam methodo mathematica demonstrare voluisset, aut errores ecclesiæ suæ eadem methodo demonstrare, aut sicco pede præterire, aut iis oppositam veritatem amplecti atque tueri debuisset. Sed primum fieri non poterat, quia errores demonstrari, vt veritates, repugnans est (Spec. I. §. 7.). Alterum eligens membrum, suspectum se religionis suæ sociis reddidisset; quos manifeste offendisset, membro tertio electo. Hæc autem cum displicerent Huetio, ipsi omnino difficultates inexsuperabiles in eo conatu, quem Pufendorffius ipsi commendauerat, obstabant. Quis autem tam obtusa mente erit, vt inde, fieri omnino non posse, vt Theologia reuelata methodo mathematica proponatur, concludat? Quod autem ad Spinozam attinet, miror, Dn. Clugium, de demonstratione disputantem, ignorare, quantum inter methodum mathematicam, quæ eadem est ac demonstratiua (§. 2.), et systematicam intercedat; quarum illa quidem semper veritates profert, hæc vero in erroribus etiam, ad imponendum lectoribus incautis, adhiberi potest (Spec. I. §. 7.). Dum igitur Spinoza errores pestiferos methodo mathematica demonstrasse visus est sibi aliisque, nego, eum methodo mathematica vsum esse, licet systematicam illi non denegem. Sed quid absurdius hoc argumento:

Spinoza, ex falsis principiis concludens, errores proposuit;

Ergo veritates theologicæ sic proponi nequeunt, vt ex veris principiis recte deriuentur, hoc est, methodo mathematica?

Ex iam dictis adparet etiam, quid respondeam Iusto Christoph. Schomero dicenti, *mathematicam demonstrandi methodum cuiuis insaniæ inuoluendæ aptum pallium esse, atque adeo vanam esse de illius methodi infallibili euidentia communem persuasionem*, quæ verba Dn. Clugius retulit l.c. p. 113. Nam hic quoque bonus vir ignorauit differentiam methodi mathematicæ atque systematicæ; quod effecit, vt methodo mathematicæ tribuerit, quod systematicæ tantum tribuendum erat. De cetero de Raphsono et Poireto disputare, nil attinet, quia, quomodocunque istorum conatus se habeant, veritas consequentiæ in syllogismo opposito fuit negata.

XV.

Contradictio duplex.

Vt prætermittam deinceps, quæ ad contortionem *sententiæ Buddeanæ de adplicatione methodi mathematicæ ad Theologiam* (Sing. P. 2. p. 113.) moneri possent, nec mentionem faciam commodorum aut incommodorum, ex adplicatione illa exspectandorum, siquidem de priori dixi alibi (Spec. I. §. 23.), de posteriori autem in sequentibus disputandi occasio dabitur; aduersus se ipsum Dn. Clugius præliatur, dum antea (Singul. P. 2. c. 4. §. 12. p. 111.), *fieri non posse*, statuit, *vt res theologicæ methodo demonstrandi mathematica proponantur*, iam vero: *non ego*, inquit, *affirmare dubito, quod forte possit Theologia tradi secundum mathematicorum consuetudinem* (l. c. p. 114.). Quodcunque enim forte esse potest, de eo non simpliciter dicendum est, quod fieri nequeat. Sed in confestim sequentibus etiam partim errorem, partim contradictionem commissam inuenio, dum lego sic l.c. §. 13. p. 114: *vt taceam, propositiones, naturaliter notas, quas hypothesium munere fungi posse Paschius autumat, locum non habere, nisi in probandis fidei articulis mixtis, quanquam ne hic quidem absolute necessariæ sint, et in argumentatione theologica, vbi quandoque altera præmissarum, quas vocant, e principiis rationis peti solet. Sed hoc loco disputatio est, nec de articulo fidei mixto, e ratione confirmando, nec de argumentatione theologica, sed de Systemate propositionum theologicarum construendo, in quo propositiones diuersarum disciplinarum locum habere, nego.* Nimirum proprium articuli fidei mixti non est, in probatione illius propositiones naturaliter notas locum habere, sed eum ex sola ratione demon-

monſtrari æque poſſe, ac ex teſtimonio Scripturæ idem conſtat. Ita enim ſe habent doctrinæ e. g. de infinitis Dei attributis, de creatione, conſeruatione, prouidentia cet. Deinde euidenter ſibi repugnant hæc duo:

propoſitiones naturaliter notæ locum habent in argumentatione theologica, vbicunque altera præmiſſarum e principiis rationis peti ſolet,

et *in ſyſtemate propoſitionum theologicarum conſtruendo propoſitiones diuerſarum diſciplinarum locum habere non debent.*

Nam argumentationes theologicæ pertinent ad ſyſtema propoſitionum theologicarum, et hoc ex illis componitur. Quare, poſita propoſitione priori, vera etiam eſt hæc:

propoſitiones naturaliter notæ locum habent in ſyſtemate propoſitionum theologicarum.

At vero propoſitiones naturaliter notæ non poſſunt non ad diuerſas diſciplinas, e. g. rhetoricam, Logicam, Metaphyſicam, philoſophiam practicam, Phyſicam, Matheſin, pertinere, dum hæ diſciplinæ eo conſilio concinnatæ ſunt, vt propoſitiones naturaliter notæ pro obiectorum diuerſitate in eas colligerentur, et ſuo loco ordineque ſingulæ diſponerentur. Quare, ſi Dn. Clugium audiamus, *propoſitiones naturaliter notæ, h. e. propoſitiones diuerſarum diſciplinarum, in ſyſtemate propoſitionum theologicarum locum habere poſſunt, et non poſſunt.* Quæ contradicere ſibi inuicem, ſi non intelligit Diſputator, quid tandem intelliget? Interea cum propoſitionum contradictorie oppoſitarum alterutra vera ſit, adſumo priorem:

An definitiones diuerſarum diſciplinarum poſſint in ſyſtemate Theologico locum habere?

propoſitiones naturaliter notæ, h. e. diuerſarum diſciplinarum, locum habent in argumentatione theologica,

eamque reſponſionis loco repono ineptæ exprobrationi, quod *in ſyſtemate meo theologico ſententias diuerſi generis inter ſe permiſceam ita, vt definitio mox grammatica, mox rhetorica, mox metaphyſica, mox pneumatica, mox theologica occurrat* (l. c. p. 117.). Iure enim ſuo illæ, vbi opus fuit ad concluſionem inferendam, occurrunt, ſi propoſitiones naturaliter notæ locum habent in argumentatione theologica, vti fatetur Diſſentiens. Nam vti omnis definitio eſt propoſitio, ita definitiones grammaticæ, rhetoricæ, metaphyſicæ, pneumaticæ ſunt propoſitiones naturaliter notæ; ſed argumentationes theologicæ pertinent ad ſyſtema theologicum, et ex iis totum meum ſyſtema eſt compoſitum. Cum vero ibidem p. 117. garrit Dn. Clugius, *me in ſyſtemate theologico in-*

terſerere definitiones ſpurias, et omni deſtitutas fundamento, qualis ſit diuiſio æternitatis in fixam et ſucceſſiuam, reſponſiones accepit dudum in *Inan. Singular. Clug.* §. 104, et in *Elem. Theolog. Nat.* §. 27. Sch. quibus non deſtructis, iniqua eſt exprobrationis repetitio.

XVI.

An, auctorem Theologiam Reuelatam methodo ſcientifica non propoſuiſſe, ex ipſa libri inſpectione conſtet?

Ab eiusmodi igitur Opponente, qui ne vnicum quidem argumentum ſtabile adhuc attulit, et cui, aduerſus ſe ipſum præliari, ſolemne eſt, quid vlterius exſpectes? *Me non tradidiſſe Theologiam Reuelatam methodo ſcientifica et demonſtratiua*, lectoribus perſuaſurus eſt, ſed argumentis tam futilibus, vt riſum potius, quam conuictionem operentur. Primo enim *ipſam libri mei inſpectionem docere*, garrit l. c. §. 14. p. 114, *me non omnia ex definitionibus, axiomatibus, poſtulatis et experientiis legitima ratione demonſtraſſe*, adeoque *rem ipſam docere, me non tradidiſſe Theologiam Reuelatam methodo ſcientifica et demonſtratiua.* Sed omnino diſtinguendum eſt inter inſpectionem libri mei, factam a viro, methodi mathematicæ tam in ſe, quam quoad adplicationem ad alias diſciplinas, gnaro et perito, et factam ab homine methodi illius ignaro, qualis eſt Dn. Clugius. Hominem methodi mathematicæ ignarum, licet vana ambitione turgidum, non videre, nec perſpicere, quod Theologia mea methodo ſcientifica concinnata ſit, quis mirabitur? Si quis autem lector prudens attentusque ad legendum librum meum accedat ita, vt concluſionem probandam ex paragrapho eruat, vt quærat ſyllogiſmum, quo concluſio probata eſt, vt in ſyllogismo dato præmiſſas examinet, ſintne principia cognoſcendi euidentia, an alio argumento confirmatæ? vtque in paragraphis, probationis præmiſſarum cauſa citatis, quærat vlteriores probationes, donec ad ipſa principia perueniatur: ille e definitionibus, axiomatis, poſtulatis, experientiis, effatisque ſacræ ſcripturæ euidentibus (quæ poſtrema principiorum demonſtrandi ſpecies haud omittenda eſt) legitime me deriuaſſe dogmata theologica, intelliget, adeoque ipſa lectione, methodo ſcientifica a me traditam eſſe Theologiam reuelatam, conuincetur. Egregie igitur huic loco conueniunt verba ipſius Dn. Clugii, quæ leguntur Singul. P. II. §. 5. p. 129: *Licet non omnes nexum illum perſpiciant, tamen inde, vel non dari nexum, vel eum non ſatis ob oculos poni, pro hac Theologiam tractandi ratione, concludi non poteſt. Immo qui nexum illum non perſpiciunt, vel ingenio ſunt tardiore, vel non ea, qua*

opus

opus est, industria, res theologicas tractant. Quorum membrorum ille eligere potest, vtrum libuerit.

XVII.

An inde, quod scripserit: se id fecisse, quod ad fieri potuit?

Pariter admodum ieiune, *me methodo scientifica non tradidisse Theologiam reuelatam*, probat Dn. Clugius l. c. ex eo, quod *scripserim, me Theologiam Reuelatam methodo scientifica, quoad fieri potuit, tradidisse et tradere voluisse* (Inan. præf. p. 12.). Quis enim non videt, modestiæ causa istam additam restrictionem esse? quæ proinde non eo detorquenda est, vt inde inferatur, me non in lucem dedisse Theologiam Reuelatam methodo scientifica tractatam, quam in operis titulo promiseram. Sed cauillatori nihil rectum est, nisi quod declamat ipse. Si sine isthac limitatione scripsissem, gloriationis vitium mihi obiecisset; dum addidi limitationem, non tradidisse me Theologiam reuelatam methodo scientifica, inde infert; quale disputandi genus iniquorum cauillatorum proprium est. Quin etiam alia ad manus est responsio. Methodus mathematica, vel, quod idem valet, scientifica, prouti in philosophia atque mathesi adhibetur, in principiis cognoscendi euidentibus non fert testimonia mera; non humana, quia hæc in se fallibilia, sed methodus illa principia demonstrationis dubitatione superiora postulat (Spec. I. §. 5.); neque diuina, quia alias non esset ex ratione sola, quod demonstratur; id quod tamen philosophiæ atque matheseos proprium est. Sed dispar est ratio Theologiæ Reuelatæ. Ad hanc enim cum methodus mathematica adplicatur, effata Scripturæ sacræ, tanquam testimonia diuina, inter principia demonstrandi indubia locum non tantum habere possunt, sed etiam debent (Spec. I. §. 9.). Huius igitur ratione habita, scripsi, me Theologiam reuelatam tradere voluisse et tradidisse methodo scientifica, quoad fieri potuit; ex quo adparet, ipsius rei naturam atque ingenium hancce limitationem postulasse. Et quidni? De Calouio Dn. Clugius sic fatur l. c. §. 9. p. 105: *Abr. Calouius, methodum analyticam, in Theologia eligendam esse, pronunciat, sed ea vsus circumspectione, vt simul moneat, ad ingenium et indolem habituum practicorum, quantum fieri potest, ratione methodi, eam conformandam esse, immo haud inuitus fateatur, propter habitus huius eminentiam, liceat enim ipsius verba adhibere, qui μονότροπος et ἐξαίρετος est, nec sub censum ceterorum venit, aut ex iis per omnia æstimari potest vel debet, non esse omnia ita rigorose*

exigenda, quæ ad ἀκρίβειαν methodi analyticæ faciant, quin potius respiciendum simul ad indolem rerum tractandarum, cum methodus rei naturæ accommodari, non hæc isti attemperari, debeat. Idemque alibi p. 128: *Theologi Theologiam analytica methodo, quoad quidem per rerum diuinarum indolem fieri potest, proposuerunt.* Cur mihi igitur non licuerit, de adplicatione methodi scientificæ ad Theologiam Reuelatam loquenti, eadem circumspectione, cuius iam ratio est data, vti? De cetero si ex eo, quod *in systemate meo theologico cuilibet propositioni non adiecerim titulum, quo secundum methodum mathematicam designanda fuisset,* Dn. Clugius infert, *me non tradidisse Theologiam Reuelatam methodo scientifica*; vti id quidem ex *verbis Clausingianis* allegatis adparere videtur l.c. p. 114. 115, hocipso, se non intelligere, prodit, quod forma methodi scientificæ interna seruari queat sine externa (Spec. I. §. 8.).

An ex eo, quod neglexerit formam methodi mathematicæ externam?

XIIX.

Argumenta declamationum.

Sed iterum iam hoc rumpo disceptationis filum, ad id, quod temporis ratio postulat, progressurus. Quatuor auditorum meorum, adolescentes laudabilium profectuum et spei optimæ,

I. *IOH. ERNESTVS MEZEL*

et

II. *IOH. CHRISTOPHORVS MEZEL*

Rodani,

III. *IOH. CHRISTIANVS BRAND*

Altstadiensis,

IV. *IOH. THEOPHILVS HAGE*

Wickerstadio-Vinariensis,

ex-

exacto curriculo ſcholaſtico, veniaque partim a Parente, ſalutis filiorum ſtudioſiſſimo, partim a Superioribus impetrata, ad ſtudia academica transire, ob eamque cauſam declamationibus publicis diligentiam ſuam Proceribus probare, illorumque fauori ſe commendare geſtiunt. Quo ſic ſe habente, dicendi argumentis, vti olim aliquoties factum eſt, ex aureorum Pythagoræ carminum v. 54. ſeqq. deſumptis,

PRIMVS *de bonis, prope hominem exſiſtentibus*, carmine Latino,
SECVNDVS *de malis hominum voluntariis* carmine Græco,
TERTIVS *de liberatione hominis a malis* ſermone Latino,
QVARTVS *de genere hominum diuino* lingua vernacula dicent, ita quidem, vt tertius ſimul carmine Germanico, ad numerum hexametrorum compoſito, pro menſæ principalis beneficio percepto gratias humillimas agat, quartus vero nomine omnium Optimates, Mæcenates, Præceptores, Amicos valere iubeat.

XIX.

Agite igitur, Iuuenes Optimi! Strenue res Veſtras in cathedra noſtra ſuprema vice *) agite! Agite vero etiam hoc, vt, veluti labores ſcholaſticos fine bono coronauiſtis, ita etiam academicos per Dei gratiam ſic ſuſcipiatis atque finia- *Inuitatio.*

*) Oratorum enim noſtrorum primus, tertius, quartus olim eandem cathedram, et poſtremus quidem bis, cum laude animarunt; quemadmodum ex *Diatrib. poſter. de charactere quadrato, ſacri codicis originario*, et ex *Spec. poſter. dubiorum de conuerſione hominis diſcuſſorum* adparet.

finiatis, vt in ſacris aut ciuilibus negotiis olim veſtra vigeat induſtria, Parentumque aut cognatorum veſtrorum, quin etiam ipſius patriæ votis et exſpectationi reſpondeat. Vos vero, VIRI MAGNATES, MÆCENATES, LVMINA ORDINIS VTRIVSQVE, et AMICI, vt præſentia Veſtra cras hora IX. matutina Gymnaſium noſtrum illuminetis, linguisque eorum, qui Vobis placere cupiunt, faueatis, officioſe et amice rogo. Etenim ſi, teſte Cicerone Off. l. 1. c. 34, *vtiliter maiores natu interſunt, cum iuuenes relaxare animos et dare ſe iucunditati volunt*, multo magis in re ſeria, publicoque diligentiæ iuuenum experimento præſentia Veſtra multiplicem præſtabit vtilitatem.

P. P. VINARIÆ DIE XXIX. APRIL. MDCCLIII.



COMMENTATIONIS DE ADPLICATIONE METHODI SCIENTIFICÆ AD THEOLOGIAM REVELATAM

SPECIMEN SECVNDVM



AVCTORE

M. IACOBO CARPOV

ILL. GYMNASII DIRECTORE MATHEM. P. P. REGIÆ BORVSSICÆ ACADEMIÆ SCIENTIARVM ET LITTERARVM ELEGANTIORVM COLLEGA.

IENÆ, SVMPTIBVS IOH. ADAMI MELCHIORIS, VIDVÆ.